Q.K. 4143

II i 675

JOANNEM PRINCIPIS PACIS PRAECURSOREM PRIMUM FUISSE IN N. F. PACIS PRAECONEM

AD DUCTUM

LUCAE CAP. III. C. 1. 2.

PROBAT,

ET

VIRO

X 2313027

SUMME REUERENDO, AMPLISSIMO ET DOCTISSIMO

M. JOANNI GOTTFRIED WELLERO,

PASTORI PRIMARIO, LYCEI INSPECTORI, ET SUPERINTENDENTI ZUICCAVIAE GRAUISSIMO,

ANTISTITI SUO ET EPHORO

PIE COLENDO

NOUUM SUPERINTENDENTIS MUNUS

GRATULATUR

MINISTERIUM CIRCULI PRIMI ZUICCAUIENSIS

SACRUM

AUCTORE ET INTERPRETE

M. GOTTLIEB HERRMANNO HAHNIO,

PAST. SCHNEEB. ET LYC. INSP. NEC NON DIOEC. CYGN. ADIUNCTO PRIMARIO, ET SOC. CHRIST. CAR. ET SCIENT. QVAE DRESDAE FLORET, COLLEGA.

SCHNEEBERGAE, TYPIS FULDIANIS.

BIBLIOTHECA PONICKAVIANA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HALLE (SAALE)

PRAECONUM usus olim erat multiplex. Illos enim et Senatum conuocasse, et res venales praedicasse, et in ludis atque certaminibus victores pronuntiasse, Quintilianus, Lipsius, alii, referunt. Fetiales illi, quos Graeci εἰρηνοδίκας dicebant, memoria et commemoratione haud indigni sunt. Hi ex praestantissimis familiis selecti fungebantur sacerdotio: operam dabant, ne Romani foederatae vlli ciuitati iniustum inferrent bellum: omne adhibebant studium, ut conditiones foederum inuiolatae seruarentur: pacem conficiebant, aut si minus legitime facta videretur, reddebant irritam.

Quorum Princeps fetialium, qui oratorum vicem sustinebant, quique cum suasores, tum praecones belli, pacis et foederum erant, et a Plutarcho φετιαλιοι vocabantur, PATER PATRATUS, iusiurandum pro toto populo patrans siue praestans, communi dicebatur suffragio. 1) Sed haec hactenus!

Minus multa de his Romanae gentis praeconibus et fetialibus scribenda arbitror, cum e re et statu temporis, in PACEM iam dudum et anxie inter tot discrimina rerum exoptatissimam vergentis, et genti Saxonicae de reconciliatione pacis placida indicia fau-

staque-

1) v. Antiq. Roman. corpus absol. a Rosino delin. Lib. III. C. XXI. et Nieuport in libro de ritibus Romanis Sect. IV. Cap. 2. §. 9.

ſtaque praeconia tribuentis, de PRIMO N. F. et per Chriſtum ſponſorem ac PRINCIPEM PACIS recuperatae PACIS PRAECONE, JOANNE, Chriſti praecurſore, et potiſſimum de eius NOMINE, de TEMPORE, quo? et de LOCO, ubi? Joannes munere Praeconis pacis functus ſit, nonnulla proferendi mens mihi ſit et animus.

Lex et Euangelium ſunt duo amici, ſingulari concordia coniuncti. Totam non ſolum regni gratiae a Deo ipſo ſancitam et ſapientia eius munitam oeconomiam, ſed et ſolemnem voluntatis diuinae promulgationem, quae legem et euangelium foederibus quaſi deuincit, certiſſimos et religioſiſſimos hac de veritate teſtes habeo. Id eſt, quod Paullus diuinus affirmat: εφανερωσε καιροις ιδιοις τον λογον αυτε, εν κηρυγματι. 2)

Res quoque, quae ſtant circum promulgationem legis et euangelii, conſonae ſunt. Spectes, quaeſo, auctor quis ſit legis et euangelii? nonne idem Deus, nonne eadem, ut Auguſtini verbis vtar, 3) incommutabilis Trinitas? Nonne idem praeco, ο λογος nimirum, ος ην εν αρχη προς τον Θεον, legis fuit, ac euangelii? 4) Nonne celebritas et multitudo apparatuum conſtitutioni ſtatutorum praeibat, aeque ac voluntatis euangelicae promulgationi? Fertur lex: profertur foras Euangelium: nonne TEMPUS et LOCUS manifeſtationis, nonne miniſtri, nuntii nempe diuinitus miſſi, 5) et homines quidam, ad promulgandam legem et pronuntiandum euangelium muneribus et donis a Deo prae aliis inſtructi, et magnifice ornati, Moſes, 6) et Joannes Baptiſta, 7) anſam mihi praebent, caſus hos in utraque parte notatu digniores animo perluſtrandi?

Res

2) Tit. I. c. 3. κηρυγμα, quaſi per praeconem voluntas Dei legalis et euangelica ſit in ſalutem hominum clara voce proclamata.

3) de vera relig. c. 18.

4) u. Gude in Diſſ. ad Joh. I. c. 1. 2. et Michael. in h. l. qua ratione filius Dei ſit λογος?

5) u. Act. VIII. c. 53. coll. Gall. III. c. 19. ελαβετε τον νομον εις διαταγας αγγελων. Conſul. et Loeſcheri Diſſert. de legis termino, coll. Luc. II. c. 9 et 13.

6) v. Sonntag in diſſert. de Moſe Euangeliſta, it. Rus de vario Moſis in montem Sinai aſcenſu.

7) v. Premper. in Diatr. philolog. de Joanne B. et Butner in Hiſtoria Joannis, Zachariae filii.

Res eximiae et singulares singularium atque eximiorum apparatuum, nec non ducis actorisque negotiorum praeclarissimi sunt per quam cupidae. Quid mirum, si varia sint, quae in magno illo, diuinoque optimi Christi praecursore, cui parem a mulieribus natum hic terrarum orbis, teste Christo, 8) nunquam vidit, memoratu digna, lectuque iucunda, quin immo necessaria quodammodo sese nobis offerunt? Siue enim ipsius steriles senioque consumtos respicias parentes, siue de egregio, et vere praeter naturam embryonis in vtero Elisabethae saltu cogites, 9) siue inauditum illud, cum venerandi sacerdotis Zachariae, 10) surdi mutique parentis lingua, die post natum Joannem octauo, solueretur, ut Deum laudibus extolleret, aequa lance pensites, non nisi stupenda miracula reperies. Et, quot nomina, quae recens nato puero tribuuntur, tot omina egregia! Mirantur alii durum et solitarium viuendi genus; alii villosam vestem, qua Prophetae quondam vtebantur; alii victum tenuem. 11) Quae uero leuia et translatitia a Romanae ecclesiae addictis, de ipsius duobus vel pluribus capitibus, de sex digitis indicibus, de tribus calceis, aliisque reliquiis afferuntur, sine taedio aut risu haud leguntur. 12.

Sed auertor a proposito. Mihi in praesens animo sedet, de Joannis NOMINE, de TEMPORE, de LOCO, quo et ubi Joannes *ευαγγελος ευαγγελιον* PACIS attulerit, pauca in medium proferre.

8) Matth. XI. c. II. Decisa est haec controu. a J. F. Mayero in Eclog. pec. ad Euang. Fest. Joh. 1686. edit.

9) Luc. I. c, 41. *εσκιρτησε* a *σκιρταω*, iuueniliter saltito, aut more agnorum vitulorumque salio, testibus Homero et Aristophane, nec non Scapula consentiente.

10) Quidam, Zach. Pontificem summum salutantes nituntur Proto-Euangelio Jacobi, quod scriptum a Xauerio nominatur suppositititium et ex antiqua historiae Judaicae ignorantia oriundum. Absurda est haec sententia, cum non *αρχιερευς*, sed *ιερευς* appelletur Zacharias, nec a Josepho, accuratissimo rerum Judaicarum indagatore, in numero P. M. collocatus sit. Cf. Joh. Lightfoot in hor. Ebr. in Matth. II. c. 4.

11) v. Stolbergii diss. de amictu et victu J. B.

12) Hier. Wolffius in memorab. Cent. XVI. recenset haec ex antiquo codice Romae 1525. edito. Vide et Baronium in Martyrologio. Reiiciuntur haec translatitia in diss. de idolo Pontific. destructo, quem vocant, Christophoro, ab J. A. Gleich 1688. edita.

Nomen JOANNIS agnoscit radicem חנן, quae in matre et filiabus linguis: Gratiosus, misericors fuit, gratiam et misericordiam praestitit, in gratiam recepit, significat. 13) Quapropter Joannes a Christ. Beemanno et Bened. Aretio 14) GRATIANVS, seu χαρισιος, dives gratiae, a quo procul omne mendacium exulat, nominatus est. Sic et Chrysostomo, 15) et Cornelio Jansenio, 16) et Grotio, 17) nomen Joannes, vel Jehohanna et Jehohannan, compositum videtur e nomine Dei tetragrammato, et verbo חנן quod illi: precari et misereri, interpretantur.

Nomen Joannes, vt breuiter et absolute animum meum ostendam, facit quasi breuiarium totius vitae Joanniticae curriculi. Ope et auxilio clementissimi Dei, Joannes, tanquam alter Jsaacus, Simson et Samuel, parentibus senectute confectis dabatur dono. Embryo cum esset Joannes, gratiae diuinae, donorumque gratiae adeo plenus erat, ut Sospitatorem suum et ouans et salutans coleret. Et quid? Nonne ille, qui hominum animos ad gratiam in et cum Christo comparentem, fiducia firma amplectendam aptos parabat, quique τον ιλασμον περι των αμαρτιων 18) et Agnum Dei, 19) digito demonstrabat, nonne ille, qui προισσοτερος προφητα 20) a Christo ipso describebatur, nuntius gratiae et pacis salutandus est?

Centuriatores consentiunt. 21) Memores officii Joannitici, Joannem egregio nomine, GRATIOSO, vocatum asserunt. In hoc vero Joanni elaborandum erat, ut Christum, de quo viua et suaui voce dicebat: εκ τα πληρωματος αυτα ημεις παντες ελαβομεν και χαρι-

13) u. Greg. Franc. Lexic. Sanct.

14) in Joan. C. I.

15) in Homil. de J. B.

16) u. Comment. in concord. suam P. I. c. 2.

17) in Annot. in N. T. ad Luc. I. scribit: יוחנן idem est, ac: Θεος ηλεησεν aut εχαριτωσεν.

18) 1. Joan. II. c. 2. Cf. Antonii Diss. de ιλασμω, dolentibus conscientiis constituto.

19) Jo. I. c. 29. u. Quistorp. de Agno Dei, qui tollit.

20) Matth. XI. c. 9. Macarius Homil. 28. ait: Αληθως εν γεννητοις γυναικων ουδεις μειζων Ιωαννα τα Βαπτιστα. Πληρωμα γαρ παντων των προφητων τυγχανει και παντες μεν προεφητευσαν περι τα κυριε, μηκοθεν δεικνυοντες αυτον παραγινομενον· αυτος δε προφητευων περι τα σωτηρος εδεικνυε παρ οφθαλμοις πασι, βοων· Ιδε, ο αμνος τα Θεα!

21) Cent. I. lib. I. c. 10.

χαριν αντι χαριτος, coram adduceret, et gratiam Dei e solo Christo depromendam, hominibus annuntiaret, ideoque doctrinam salubrem de condonatione culpae, peccatorum, scelerum gratuita traderet, qua quidem doctrina nihil est iucundius, nihil gratiosius. Sic NOMEN et OMEN habebat Joannes!

Nil sine prudentissimo summi Numinis moderamine accidit. Omnium rerum agendarum et TEMPUS et LOCUS in fatis, minime in fatis Stoicorum, qui scelera necessitate quadam ineuitabili fieri delirarunt, 22) sed in Dei praepotentis voluntate et decreto sunt. 23) Jd, quod dixi, in TEMPUS, quo Joannes primum noui foederis, pacisque praeconem agebat, exacte conuenit. Lucas itaque, απο πνευματος αγιω φερομενος, TEMPUS idem, quod et profani Historici annotarunt, quorum ex dictis et scriptis ad faciendam fidem saepe auctoritas petitur, 24) non presse, non anguste, sed fuse et prolixe definiuit.

Tam acerbum erat TEMPUS, cum Joannes nouum pacis foedus promulgaret, ut promulgatione hac nihil accidere posset opportunius. Quondam Reges, armis et opibus peruigentes; tunc reguli quasi, seu principes minoris et tenuioris conditionis in Judaeam habebant dominationem. Hos enim principes sub potentatu Romani Caesaris, quin imo sub potestate praesidum et custodum prouinciae fuisse, quis est, quem fugiat? Olim vnicus erat Dynastes, qui gubernacula totius regni tenebat Judaici. Tunc vero temporis, quo Judaei in seruitio sese tenebant, quatuor principes tributarii ac stipendiarii, qui Tetrarchae dicti sunt, quartam regni Judaici possidebant portionem. Antehac penes vnam personam, dignitas sacerdotis Maximi, ductu et dispositione ipsius Dei, erat. Posthac autem duo Archisacerdotes, ductui et mandato Dei aduersi, officio fungebantur.

Ne uberior sim, ad ipsum Lucam, certissimum hac in re Chronologum, statim me conuerto. TEMPUS illud Euangelista sic

22) de fato Stoico praeter Lipsium, qui nimium ei tribuit, leg. Thomasii exerc. Stoic. Diss. 13.

23) Coh. III. c. 1.

24) Cic. in Topic. c. 20.

„sic describit; Anno decimo quinto imperii Tiberii Caesaris, Pon„tio Pilato praeside Judaeae, Tetrarcha vero Galilaeae Herode, „Philippo autem, fratre eius, Tetrarcha Ituraeae et Trachonitidis „regionis, et Lysania Abilenes Tetrarcha, sub Pontificibus Anna „et Caipha, factum est uerbum Domini super, vel ad Joannem. 25) A τινα εστιν αλληγορουμενα. 26) Liquet inde, tantam tunc fuisse acerbitatem et molestiam temporis, quantam aut coetus Dei purior, aut res publica plane depranata, sceptro a Jehuda iam remoto, 27) vix ac ne vix quidem ferre potuerit. En! quae tempestiuitas praeconio, quod fecit Joannes, φωνη βοωντος εν τη ερημω, 28) a Deo data sit! 29)

LOCUM, ubi PraecursorMessiae ad ministerium praedicando adiit, quod concernit, notandum est, quod ille duplex, alter generalis, alter specialis, sit. Generalis vocatur Judaea, specialis vero, quem mens mea respicit, ερημος, seu regio illa montosa, ubi fuit natus.

Domum Zachariae sitam fuisse in montanis, Lucam habeo testem. 30) Variae vero, eaedemque habitabiles ερημοι, 31) Ziph er Maon, Engaddi, Thecue, aliae, sacris in Pandectis recensentur. Annotarunt et veteres, Zachariam prope desertum Ziph et Maon, non procul a Bethlehem ad quatuor circiter milliaria inhabitasse,

32)

25) Ex Epocha Scaligeriana, manifestum euadit, annum XV. imperii Tiberii, fuisse Joannis, ratione suae aetatis XXXI. quippe qui XV. annis ante eius imperium natus dicitur. Cum vero vocatio Joannis incidat in annum XV. imperii Tiberii, sequitur, quod Joannes tunc, cum ministerium inchoaret, annum aetatis XXX. compleuerit, et annum, XXXI. ingressus sit.

26) ad Gall. IV. c. 24.

27) u. Sperbachii Diss. de sceptro e Juda, et legislatore ante Christi aduentum non recessuro: coll. Walchii diss. de tempore aduentus Messiae idoneo.

28) Jo. l. c. 23.

29) Num Joannes ipso festo vociferationis iobelaeo, (eben gleich nach dem dem Jubel-Feste vorhergehenden Feste des Blasens,) de quo Leuit XXIII. c. 24. plura legenda sunt, in munus Prodromi intrauerit, in medio relinquimus. Cf. Gerhardi Harm. Euang. T. I. et Witsii miscell. S. T. II. It. progr. quoddam Jen. de tempore beneplaciti diuini, שנת רצון lectu dignissima est.

30) C. l. c. 39. 40. εις την ορεινην εις τον οικον ζαχαριου.

31) Jos. XV. 61. sqq. XXI. c. 13. sex in tribu Juda describuntur ciuitates in deserto sitae.

32) et Joannem ibidem ineuntis suae aetatis annos transegisse. 33) Nec veritati absonum est, Joannem postea paululum a natali solo et paterna domo discessisse, et in deserto Engaddi et Thecue, qui locus propinquior Hierosolymae et Jordani, quam Ziph et Maon, erat, munere primi praeconis esse functum. En locum tam graui et illustri, quod Joanni erat delegatum, negotio, perquam aptissimum! Ibidem propter viam publicam undique maxima erat hominum Jordanem transeuntium, et Hierosolymam proficiscentium frequentia. 34)

Sed magna caterua doctorum, qui a Pontifice R. sacramento tenentur, inter quos Baronius, 35) et Maldonatus, 36) primas tenent, ερημον hanc, de qua sermo est, absolute de loco plane deserto, ανοικητω, incolis vacuo, et ab omni hominum consuetudine remoto exponunt, in quo non nisi saxa, caudices et ferae solent reperiri. Ratio plana est! Vitae monasticae et Anachoreticae initium a Joanne factum, aliis, lucri causa, student persuadere. 37) Verum enim vero certum est, ερημος vocabulum esse ομωνυμον, et interdum absolute locum plane incultum, 38) nonnunquam comparate locum minus cultum, significare, qui cum locis aliis cultioribus collatus, desertus videri posset. 39) Qua de re vocis huius πολυσημιαν interpretes LXX. inuuunt, το מדבך modo per ερημος, modo per γη ανυδρος αγρος uel πεδιον vertentes. Tantum autem abest, ut eiusmodi vocabula de locis maxime eremiticis et

)( )(soli-

32) v. Chemn. in Harm. Eu. C. XVI.

33) Luc. l. c. 80. το τε παιδιον - - ευ ταις ερημοις.

34) v. Chem. l. c.

35) In annal eccles. ad ann. Chr. l. n. 52.

36) In comment. in Matth. III. c. 1.

37) Paulinus in carm. 5. de Bapt. canit:

Tecta igitur sancti, quanquam immaculata, parentis
Deserit, ac turbas hominum coetusque nocentes
Effugit, ac solas loca tendit ad inuia terras,
In queis se tantum mens impolluta videret,
Liberaque a curis sacra ad praecepta vacaret.

38) Jes. XXXIV. c. 12. sqq.

39) Matth. XIV. c. 15. ερημος εστιν ο τοπος - απολυσον - απελθοντες εις τας κωμας, αγορασωσιν εαυτοις βρωματα, quod fieri non potuisset, nisi vici fuissent propinqui.

solitariis dicantur, ut campestria potius, hortos item, planities et viridaria indigitent. 40) Accedit insuper clarissimus Matthaei textus, qui veram solitudinem minime notat. Verisimile ergo nunquam est, in eiusmodi loco, qui plane fuerit desolatus et inaccessus, Joannem habuisse concionem nisi arboribus, et siluarum feris ac ferarum lustris eumdem praedicasse dixerimus, quod tamen nemo facile, nisi qui helleboro indigeat, ne ex ipsis Pontificiis quidem concedet. 41.)

Liceat mihi quasdam quadam breuiloquentia mecum meditari rationes, cur Joannem, primum pacis praeconem, vocatione immediata 42) instructum, την ερημον eligere oportuerit? Primam Sospitator humani generis ipse suppeditat: ερχεται ωρα, inquiens: οτε ουτε εν τω ορει τουτω, ουτε εν Ιεροσολυμοις προσκυνησετε τω πατρι. 43) De altera vaticinium Malachiae, et futurum praecursorem, et venturum Christum ipsum multo ante, tanquam ex specula prospicientis, nos facit certiores. 44) Ecce, sic vaticinatur Propheta; ecce! mitto angelum meum, qui praeparabit viam ante faciem meam; et statim veniet ad templum suum Dominator, quem vos quaeritis, et angelus foederis, quem vos vultis: Ecce venit! Et tertiam quod attinet, quam dispar Joannis doctrina doctrinae eorum erat, qui hactenus in templo Hierosolymitano se magistros profitebantur? Numne, ut quartam addo, η ερημος statum et Judaeorum et Paganorum corruptum symbolice et figura-

40) 2. Sam. XV. c. 28. המדבר בעברות vertit Luth Auf dem blachen Felde in der Wüsten.

41) Montacutius Sophronii μυθολογηματα diluens, in haec erumpit verba: Scimus, desertum in scripturis non vnicum commemorari. Erant deserta plura, nulla autem solitudo iuxta Jordanem, sed solum scimus vberrimum, campos laetissimos, fruges omnimodas, loca frequentissima colonis et inquilinis. Quodsi per desertum intelligatur eremus, solitudo, mirum est, terram repromissionis tanta vbertate et affluenti rerum copia commendatam fuisse, in qua tot vbique deserta, vt in fabula Sophroniana, inuenirentur.

42) Notandum, quod illa ipsa vocatio non fuerit secreta aliqua tantum inspiratio, aut instinctus Sp. S. interior, sed ρημα Dei, vox quaedam diuina loquens cum Joanne, eumque instruens, quid facere, quidue vbinamque praedicare debeat. Cf. Joan. I. c. 6. 7.

43) Jo. IV. c. 21.

44) C. III. c. 1. coll. Joan. I. c. 30.

figurate exprimat? mecum ago. Ager ecclesiae Judaicae et rei publicae erat fere deuastatus. 45) Nec non animi plerorumque Judaeorum, qui obstinationi inflexibili se totos tradebant, haud pinguibus et laetis, sed dumosis potius incultisque aruis et rudeto erant aequiparandi. 46) Quo factum, vt Deus, vltor iustissimus terram, urbemque sanctam penitus desolaret. 47)

De hominibus paganis, Dei rerumque sacrarum agnitione, fiducia et pietate in Deum, et recta faciendi studio carentibus, quid iudicandum? A congruentia της ερημω, per verbum Euangelii colendae et exarandae, agriqueconserendi, minus nihilo distabant. 48)

Sed mitto haec. Ad Joannem ipsum, PRIMUM NOSTRUM Euangelii, pacisque praeconem me conuerto. PRAECONEM Joannem non absolute, sed respectiue talem, profiteor. Optime enim noui, quod angeli, qui laetissimum illud nuntium: οτι ετεχθη υμιν σημερον σωτηρ, hominibus apportarunt, primi dicantur praecones et Euangelistae. Loquor tantummodo in praesens de respectu ad ipsos homines habito, qui a Deo missi, αποκαλυψιν μυστηριω χρονοις αιωνιοις σεσιγημενω, 49) hominibus, ineunte nouo foedere viuentibus, solemni auctoritate erant annunciaturi.

Pastores Bethlehemitici ea, quae ab angelis de nato Christo audiuerant, inter se, sine solemni promulgatione communicarunt, gaudioque impulsi aliis sua sponte retulerunt. Joannem vero ad hoc ipsum praedicandi Euangelii ministerium diuinitus vocatum fuisse, suumque officium solemni ritu exercuisse, nemo ibit inficias. 50)

45) Psl. LXXX. c. 14.
46) Jer. XII. c. 10.
47) Zach. VII. c. 14. Lutherus h. u. ישימו ארץ חמדה לשמה vertit: Das edle Land ist zur Wüstung gemacht.
48) Jes. XXXV. c. 1. 2.
49) ad Rom. C. XV. c. 25.
50) v. Matth. XI. c. 13. παντες οι προφηται και ο νομος εως Ιωαννου προεφητευσαν. Qua de re Praecursor Joan. I. c. 21. se Prophetam esse, negauit. Non enim venturum Messiam, more Prophetarum V. F. sed praesentem et iamiam exhibitum ostendit. Cf. Gerh. Tom. III. LL. Theol.

Tantum aberat, vt Joannes poenitentiam partialiter ſumtam, et Euangelio contrariam, ſiue, ceudicitur, contradiſtinctam tantummodo doceret, vt potius Euangelium pacis, poenitentia praemiſſa, indiceret, 51) ideoque miniſterium ſuum, nec Leuitico, nec Prophetico, ſed plane Euangelico ac ſingulari more, exerceret. 52) Eamdem docendi rationem Chriſtus ipſe, 53) eamdem eius legati, qui ſalutantur Apoſtoli, eamdem et Prophetae paſſim obſeruarunt.

Ex his igitur dictis et ex fine praeconii Joannitici ſtatim apparebit, qua ratione ductus Joannem primi Praeconis PACIS notem nomine? Finis vltimus atque ſpecialis, vt breuiter me expediam, erat hic: vt Domino, לשר שלום, PRINCIPI PACIS, 54) Deum et homines inter ſe conciliaturo, et PACEM, animos hominum afflictos reficientem, eamdemque perennem comparaturo, viam pararet, 55) et omnibus, quos peccaſſe ſerio poeniteret, omnem fiduciam in Chriſto ſolo ſi collocarent, ברית שלום, foedus pacis, 56) condonationem nimirum peccatorum, et aeternam ſalutem בנוה שלום, in domiciliis pacis 57) adipiſcendam annuntiaret, atque promitteret.

Qua de re vel ſola illa pericope concionis: Ιδε ο αμνος τȣ Θεȣ ο αιρων την αμαρτιαν τȣ κοσμȣ, Bellarminum mittit ſub iugum ſilentii. „Audacter, ſed fruſtra aſſerere conatur, 58) Joannem ni„hil de paſſione et merito Chriſti docuiſſe, quod enim ipſum voca„rit agnum Dei, id poſſe tantummodo referri ad innocentiam et man-

51) v. pl. ap. Chemn in LL. theol. et Bened. Aret. in comm. ſup. Matth. nec non Frid. Spanh. in dubb. Euang.

52) Non leuitico more; non immolabat enim hoſtias; non prophetico: de venturo enim Meſſia non vaticinabatur; ſed Euangelico, de exhibito enim Meſſia teſtimonium perhibebat. Errant Pontificii et Sociniani. Vid. Bellarm. Tom. 2. lib. 4. c. 14. et Smalc. Diſp. 4. c. Frantz. th. 3.

53) Matth. IV. c. 17.

54) v. Budd. progr. de Principe pacis in Eſ. IX. c. 6.

55) Marc. l. c. 1. 2. Αρχη τȣ ευαγγελιȣ -- ος κατασκευασει την οδον σȣ εμπροσθεν 68. Cf. Gerhard. tom. 3. LL. th. de αρχη τȣ ευαγγελιȣ.

56) Eſ. LIV. c. 10. coll. ad Rom. XIV. c. 17.

57) Eſ. XXXII. c. 18.

58) L. I. de Bapt.

manſuetudinem. Cum autem quidam Prophetarum, et inter eos Dauides et Eſaias, de Chriſti perpeſſionibus tam perſpicue fuerint vaticinati, quin imo, olim non ii ſolum, ſed omnis Prophetarum cohors teſtimonium hocce perhibuerint: quod omnes, qui fide „amplecterentur Principem pacis, δια τϐ ονοματος αυτϐ, remiſſio„nem peccatorum acciperent; quid obſtat, quo minus ad fidem pronius ſit: Joannem, πορισσοτερον προφητϐ, Chriſtum ſupplicii cruenti pro hominibus peccatoribus ſubeundi cauſa venturum haud ignoraſſe, etſi Euangeliſtae, non omnia, quae Praecurſor et Praeco pacis auditoribus ſuis expoſuit, ſed ſumma modo doctrinae capita in compendio in litteras redegerint. 59) Hilarius recte monet 60) dicens: nomine Agni denotari et patientiam et paſſionem, quia „ſymbolum ſupplicii crucis fuerit. 61)

Poſtremo: Euangelium de Agno Dei peccata tollente ab Joanne praemonſtratum Euangelio Eſaiae vaticinantis: CASTIGATIO PACIFICATIONUM NOSTRARUM SUPER EUM, 62) ad perfectum eſſe congruens, quis eſt, qui neget? Doctrinam vero, quae perpeſſiones Chriſti, continet, Euangelium PACIS, 63) eminentia quadam a Paullo nominari, quis eſt, qui ignoret?

Ad ſcopum totius tractationis, huiusque in me ſuſcepti laboris ſum tranſiturus.

)( )(3 VIR

59) v Matth. III. c. 2. Μετανοειτε· ηγγικε γαρ η βαλιλεια των ϐρανων.

60) in libr. de Patris et Filii vnitate.

61) v. Juſtin. in Dial. cum Tryph.

62) C. LIII. c. 5. Cf. Opitii Diſſ. de Meſſia vnico C. LIII. ſcopo: et Haberkorn. de Chriſto archiatro ſpirituali. nec non Waltheri, de ſatisfactionis Chriſti certitudine.

63) ad Eph. VI. c. 15. v. Schmid. diſſ. de armatura ſpirituali.

TIBI

VIR SUMME VENERABILIS,

EPHORE PIE COLENDE,

TIBI hocce negotium sacratum et dicatum est. SIEGFRIED BECKIO, SS. Theologiae Doctore celeberrimo, Pastore primario et Superintendente Zuiccauiensi longe meritissimo, Patre nostro, Sene rerum et exemplorum, et doctrinae et omnis vetustatis perito atque optimo, cuius grauitatem comitate conditam nos in deliciis semper habuimus, e viuis erepto, factum est, auspice Deo, et clementia *FRIDERICI AUGUSTI*, Regis Poloniarum Potentissimi et Electoris Saxoniae Sereniſſimi, Regis et Domini nostri Gratiosissimi, vt TU, VIR SUMME REUERENDE, qui summae probitatis, summae eloquentiae, firmae eruditionis, optimarumque artium studii laudibus flores, ab Amplissimo Senatu Zuiccauiensi, vrbis eiusdem Pastor designatus, et vocatus Superintendens Dioeceseos eidem adscriptae constitutus sis. SIEGFRIED, qui bene pacem docuit, et annuntiauit, SIEGFRIED. qui cupidus pacis bene vixit, SIEGFRIED, qui praeconibus pacis bene praefuit, SIEGFRIED, qui ex hac vita, onere concatenato et belli angustiis degrauata ad pacis domicilia transiit, optime vicit, nos vero Parente et Ephoro reliquit orbos. Sed aderat Praeco pacis, JOANNES GODOFREDUS STEINBACH, Archi Diaconus ciuitatis, quae Cygneae floret, spectatissimus, VIR in omni iudicio elegantissimus, et amantissimus mei; aderat Vicarius, qui, ope diuina fultus, negotia ipsi clementissime demandata singulari studio peregit, cuius tutelae nos eramus commendati. Adest nunc PATER PATRATUS, quem pietate complectimur laetabundi, et amore pleni recipimus.

Adest PRAECO PACIS et Cygneae, et inter nos, ordine PRIMUS, JOANNES GOTTFRIED WELLERUS, qui

qui vrbi, aerumnis belli continuis preſſae et defatigatae, viam conſequendae pacis ſalubrem monſtret, et Halcyonios dies paullo poſt annuntiet, doctoribusque pacis et conſilio et cura praeſit. O ſi, EPHORE PIE COLENDE, oſi Cygneam TVAM, oſi Schneebergam meam, oſi διοικησιν totam, belli ſaeuitia adhuc laceratam, a malis immunem reperiiſſes! Oſi prima TUA oratio, quam, Superintendentis munus ſuſcipiens, Cygneae pro roſtris ſacris habuiſti, vt ego quidem, cum hunc laborem ſuſciperem, credideram, ſedati belli, et ad omne Saxoniae plane deſolatae votum fluentis pacis fuiſſet annuntiatio! Sed pax, haec ergo et mea oratio in diem ex die prolatata eſt. Nec fruſtra! Nunc enim Praeconi pacis ad Saxoniam venienti obuiam procedentes, et optima ſpe pacis freti, TE JOANNEM noſtrum, TE GODOFREDUM noſtrum, TE PRAECONEM PACIS noſtrum pio animo recipimus, ſociatis viribus Deum pacis precaturi, vt ſit TIBI, TUISque, quos veneramur, propitius. Seruet TE, cuſtodiat TE, tueatur TE, ſuſtentet TE incolumem! Tali modo et TIBI, fructibus PACIS omnigenae vti, ſic et nobis, qui TUO amori et fidei nos totos, et noſtra munera, de meliori nota commendamus, et conſiliis TUIS, et doctrina atque tutela TUA, precibusque TUIS, TEMPORE PACIS, frui licebit.

Paullus, PRAECO PACIS diuinus huic labori colophonem addat: 64)

Αυτος δε ο Θεος της ειρηνης αγιασαι ημας ολοτελεις, και ολοκληρον ημων το πνευμα, και η ψυχη, και το σωμα αμεμπτως εν τη παρουσια τυ κυριυ ημων Ιησυ χριστυ τηρηθειη.

Scrib. Schneebergae, et hoc ſcriptum et praeconium prelo ſubiiciebam ipſo die XI. Febr. MDCCLXIII. quo de RECUPERATA PACE me certiorem faciebant PRAECONES PACIS, dicentes:

Δοξα εν υψιστοις Θεω, και επι γης ειρηνη, εν ανθρωποις ευδοκια.

64) ad Theſſ. Epiſt. I. Cap. V. c. 23.

QK II. 675

Q.K. 4143

II i 675

JOANNEM PRINCIPIS PACIS PRAECURSOREM PRIMUM FUISSE IN N. F. PACIS PRAECONEM

AD DUCTUM

LUCAE CAP. III. C. 1. 2.

PROBAT,

ET

VIRO

X 2313027

SUMME REUERENDO, AMPLISSIMO ET DOCTISSIMO

M. JOANNI GOTTFRIED WELLERO,

PASTORI PRIMARIO, LYCEI INSPECTORI, ET SUPERINTENDENTI ZUICCAVIAE GRAUISSIMO,

ANTISTITI SUO ET EPHORO

PIE COLENDO

NOUUM SUPERINTENDENTIS MUNUS

GRATULATUR

MINISTERIUM CIRCULI PRIMI ZUICCAUIENSIS

SACRUM

AUCTORE ET INTERPRETE

M. GOTTLIEB HERRMANNO HAHNIO,

PAST. SCHNEEB. ET LYC. INSP. NEC NON DIOEC. CYGN. ADIUNCTO PRIMARIO, ET SOC. CHRIST. CAR. ET SCIENT. QVAE DRESDAE FLORET, COLLEGA.

SCHNEEBERGAE, TYPIS FULDIANIS.

BIBLIOTHECA PONICKAVIANA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HALLE (SAALE)